



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quare in fine vitae datur, & non in principio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

lutione, iam per verba & signa sacramentalia, iam per opera &c. Quare hæc regula semper tenenda est, quoties dicitur, Baptismum, Confirmationem, Vnctionem, orationem, ieiunium, eleemosynam &cæt. & alia bona opera remittere peccata, non sic intelligendum esse, quasi hæc opera operata per se, vel sacramenta & eorum materiæ, elementa & creaturæ, nobis remittant peccata: nam nullum opus vel sacramentum ex sua dignitate & virtute meretur nobis veniam peccatorum, sed solus Deus est qui remittit & indulget peccata, Esai. 43. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, sed sic est intelligendum, quòd in tali operatione salutis & remissionis peccatorum, Deus propter Christum & eius sanguinem atq; meritum, causa & fons est per externa hæc signa sacramentorum seu rituum, per quæ tanquam per media, ipse distribuit nobis filij sui beneficia, id est, remissionem peccatorum & salutem æternam: Nam à sola Christi morte fluit & pendet virtus & causa remissionis peccatorum & vitæ æternæ: idq; semper tenendum, quoties dicitur, quòd oratio, eleemosyna, hoc vel illud opus, remittat peccata &c. 3. Postremò vngitur Christianus in extremis, & non in principio infirmitatis: etsi contra Deum non foret, etiãsi in principio fieret: sed quia aliquandò infirmitates & morbi sunt pœnæ & crux siue flagella Dei, (vt D. Hieronymus ait) quæ ad certum aut diuturnum tempus, Deus vult hominibus infligere ad extirpationem & mortificationem vitiorum & peccatorum corporis & animæ, sicut probauit Iob grauissima infirmitate, Ezechiam 4. Reg. 20. Tobiam cæcitate, & in Euangelio paralyticum, & quia dicitur, Quos diligit Deus, hos castigat &cæt. igitur infirmus vngitur in extremis, & est vltimum sacramentum, quo Christiani muniuntur in fine vitæ. Nam visum est Ecclesiæ, vt quilibet verus Christianus in principio vitæ baptismò,

ptismo, deindè iam adultus confirmatione, & postremò vnctione armaretur contra diabolum, vt omnium diligentia accepta semel in baptismo iustitia retineretur: Est enim Christianus, in hac vita viator: qua egressurus, primùm valedicit, id est, in baptismo renunciat mundo, peccatis & sathanæ: deindè prouidet sibi de pane viatico, id est, in Eucharistia cibatur: Tertio armatur cōtra noxia animalia, canes, &c. id est, in confirmatione & vnctione extrema armatur contra insultus & insidias diaboli, &c.

CAPVT XVI.

A R G V M E N T A.

1. *Quare Ecclesia permittit & habet varia sacramentalia & caeremonias.*
2. *Vnde illarum sit virtus, utrū à rebus, an virtute diuini nominis super his inuocati.*
3. *Quando illorum verus sit vsus, & quando abusus.*

1.



Notandum primò quòd propheta Dauid in Psal. 148. iubet Deum laudare omnes creaturas tam rationales, vt Angelos & homines, quàm irracionales, vt bestias & vniuersa pecora, solem, lunam, ignem, glaciem, montes, ligna fructifera, & oēs cedros &c. quæ à Deo creata sunt. Deindè iubet nos in creaturis Deum laudare: idè Ecclesia quia scit quòd Deo placet, si inuocetur sæpè nomen eius: nam illa inuocatio est cultus & honor Dei, quem maxime exigit. Nam est testimonium fidei, Rom. 10. quomodò inuocabunt in quem non crediderunt? Igitur super varias creaturas inuocat & laudat Ecclesia nomen Dei, vt sunt sal, aqua, herbæ, lumen, apparatus, & reliqua templi utensilia, in hunc finem, vt

homo